

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0016

0014

0020

0010

0025

0005

0065

0115

0515

1015

Ende

Anfang

5

aliqui devoti, qui ex devotione militiam suscipiunt, et tamen militiae insignia ferre nolunt in patria, ille nec a principibus nec ab aliis percutiuntur, sed subjiciunt se Fratri Johanni. Sunt ergo sic in illa hora omnes nobiles facti milites, et quilibet in susceptione militiae contulit munus notabile juxta suum posse Fratri Johanni. Aliqui X ducatos, aliqui VIII, aliqui VI, aliqui V pro sancti sepulchri et ecclesiae reparatione et locorum sanctorum honoratione, et Fratrum custodiae sancti sepulchri enutritione et lampadum incensione et ad alios usus, ad quos dictus frater Johannes scit esse necessarium.

(B) Commendatio militiae sancti sepulchri et prae-
eminentia illorum militum super omnes mundi milites.

Nobilium magnanimitas ab antiquo non stetit contenta finibus naturalium parentum seu progenitorum suorum, sed circa sui nominis titulos extollendos insudare consuevit. Describit enim historiographorum antiquitas, venisse de Carthagine ad Italiae partes Hannibalem, nobilissimum Afrorum, et propriae strenuitate virtutis Romam plurimasque provincias suo imperio subjugasse. Ita etiam Perseus Tacius, nobilitatis Graeciae pater, mare equo alato transvolato Persidem intravit eamque devicit. Sic et Alexander potens divitiis et nobilitate magnus fines terrae pertransiit et cunctos suo dominio subdidit, nec tamen sic contentus stetit, sed suos terminos etiam extra mundi istius fines statuere cogitavit; et ita de pluribus aliis legimus, qui suis terminis non contenti ad magna se extenderunt. In talibus autem quieti non par-citur, nec somno tempus datur, sed continuis studiis magnisque laboribus insudatur. Verum, ut de nobilibus moderni temporis reddantur exempla, inspiciamus gloriosum exercitum nobilium peregrinorum nostrorum jam sacramentis militaribus adornatum, qui quidem poterant in suis propriis urbibus, civitatibus, oppidis, castris, villis et praediis affluere divitiis, uti deliciis, et cum quiete frui placitis, et ludis interesse jocundis, et assistere theatrorum spectaculis, et animosis congressionibus, et hastiludiis, et torneamentis, poterant et operam dare venationibus et chorizationibus, vel manere cum